



Excellentissime Princeps!

Archipraesul Reverendissime!

Accipe clementer, quaeso, exiguum hoc **Tui** episcopalis jubilaei monumentum.

Quod **Tibi** offerre audeo, „photographia“ est, ut aiunt, gloriosi Pontificatus **Tui** divini ipsius Solis luce impressa seu picta seroque e divinis floribus nexo, ut decet, redimita, vel — ut clarioribus fortasse verbis utar — operum **Tuorum** pia recordatio ac virtutum **Tuarum** justa laus est e sacrarum literarum locis contexta.

Disposui autem sententias collectas ita, ut primum communi ob jubilaeum **Tuum** laetitiae locus detur, deinde archi-episcopalis muneris momenta et acta ac virtutes quaedam, quibus **Te**, Princeps, insignem praebuisti et adhuc praebes, leviter attingantur, postremo senectus **Tua** venerabilis, laboris nempe et virtutum praemium, divinis verbis praedicetur.

Sententias — paucissimis immutatis — ipsis verbis, quibus a sacris auctoribus sunt expressa, protuli, putans, dicta sensaque facile ad **Tuas** res accomodari posse.

Gravissima eloquia hic posita, ad **Te** traducta, veritati plane consona esse, non vana praedico affirmatione; nam et **Tu** ipse ea audiebas, et audire jubebas alios.

Hanc morum **Tuorum** seu agendi rationis imaginem ut adumbrarem, amor erga **Te** filialis et grati animi sensus suasor auctorque extitit; si aliter fecissem, officio defuisse mihi viderer.

Gratum igitur acceptumque **Tibi** sit hoc meum utcumque exile munusculum.

Ceterum, ut **Te**, indulgentissime Princeps, Deus O. M. nobis diu sospitem et incolumem servet, ardentissimis precibus orat rogatque

humillimus et devotissimus
**Presbyter quidam Archidioeceseos
Goritiensis.**

XXIV. JUNII MDCCCLXXX.

*Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus
suis placuit Deo.*

Jxurge Jerusalem,¹⁾ et sta in excelso (Bar. 5, 5.); et vide jucunditatem venientem tibi a Deo (Bar. 4, 36.). Lauda filia Sion; jubila Israel; laetare et exulta in omni corde, filia Jerusalem! (Soph. 3, 14.). Exultet terra, laetentur insulae²⁾ multae! (Ps. 96.). Clanges buccina . . . sanctificabisque annum (semi) quinquagesimum, . . . quia jubilaus est (Lev. 25, 9 — 12.). Sumite psalium, et date tympanum, psalterium jucundum cum cithara (Ps. 80, 3.), quia sanctus dies Domini est (2. Esdr. 8, 10.). Plaudite manibus; jubilate Deo in voce exultationis (Ps. 46, 2.): jucunditatem et exultationem thesaurizavit super illum (Eccli. 15, 6.). Excelsum fecit Aaron (Eccli. 45, 7.); addidit ei gloriam (Eccli. 45, 25); corona aurea super mitram ejus (Eccli. 45, 14.). — Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me (Ps. 117, 16.). A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris (Ps. 117, 23.). Dicat nunc domus Aaron: Quoniam in saeculum misericordia Domini (Ps. 117, 3.). — Audivit — et laetata est Sion (Ps. 96, 8.) . . . ob sanctificationem jubilaei (Lev. 25, 12.).

* * *

Electio — consecratio — sollemnis in Metropolitanam ingressus.

Annis 1854. et 1855. factus est ad nos sermo Domini, dicens: Dabo vobis pastorem juxta cor meum et pascet vos scientia et doctrina (Jer. 3, 15.). Elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut . . . portet Ephod coram me (Deut. 21, 5.). Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatus est a Deo, tamquam Aaron (= Andreas). (Hebr. 5, 1.). Tulit ergo Samuel³⁾ cornu olei, et unxit eum in medio fratrum ejus. (I. Reg. 16, 13.). Pontifex (est), i. e. sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput fustum est unctionis oleum et cujus manus in sacerdotio consecratae sunt, vestitusque est sanctis vestibus (Lev. 21, 7.). — In jubilo et in clangore buccinae (II. Reg. 18.), in tympano et choro, in chordis et organo, in cymbalis benesonantibus (Ps. 150) . . . ingressus est in templum Domini⁴⁾. (Luc. 1, 9.). Orationem faciebant omnes sacerdotes, dum consumaretur sacrificium Jonatha inchoante, ceteris autem respondentibus (II. Mach. 1, 23.).

¹⁾ Jerusalem, filia Sion (Jerusalem) = Goritia, filia Aquilejae.

²⁾ Insulae sinus Flanatici et maris Adriatici.

³⁾ Ant. Aloys. Wolf episc. Labacensis 3. Jun. 1855.

⁴⁾ Sedis Archiepiscopalis sollemn. possessionem adiit 24. Junii 1855.

Rerum agendarum initium a studiis et sapientia ductum.

Vir sapiens fortis est: et vir doctus — robustus et validus (Prov. 24, 5.). Diligite lumen sapientiae omnes, qui praeestis populis (Sap. 6, 23.). Hanc amavi et exquisivi a juventute mea (Sap. 8, 2.). Si intraverit sapientia in cor tuum et scientia animae tuae placuerit: consilium custodiet te, et prudentia servabit te . . . (Prov. 2, 10.). Ornamentum aureum prudenti doctrina et quasi brachiale in brachio dextro (Eccli. 21, 24.), . . . ut potens sit exhortari in doctrina sana . . . (Tit. 2, 1.). In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate (Tit. 2, 7.).

Sollicitudo ecclesiarum; cura animarum.

Volo vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis . . . (Coloss. 2, 1.); . . . qui praeest, — in sollicitudine (Rom. 12, 8.). Custodite igitur sollicite animas vestras. (Deut. 4, 15.). — Exiit primo mane, . . . circa horam tertiam, . . . sextam, . . . nonam . . . conducere operarios in vineam suam (Matth. 20. 1—5.). Rogate . . . dominum messis, ut mittat operarios in messem suam (Luc. 10, 2.), ut possim constituere per civitates et per singulas ecclesias presbyteros. (Tit. 1, 5.; Act. 14, 22.). Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, et absque sacerdote doctore et absque lege (II. Paral. 15, 3.)¹⁾. Paterfamilias . . . plantavit vineam²⁾, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et aedificavit turrim . . . (Matth. 21, 33.).

Studii theologici reformatio; novi professores et Seminarii rectores.

Assumite gladium spiritus (Eph. 6, 17.). Non recedet volumen legis ab ore tuo . . . (Josue 1, 8.). Labia enim sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore ejus (Mal. 2, 7.). Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem. (Prov. 9, 1.). Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia . . . doctores (I. Cor. 12, 28.).

Curia reformata; — iudicium eccl. institutum.

Tu autem (Esdra) secundum sapientiam Dei tui, quae est in manu tua, constitues iudices et praesides (I. Esdr. 7, 25.). Et cum fuerit controversia, stabunt (sacerdotes) in iudiciis meis et iudicabunt (Ezech. 44, 24.), . . . non hominis exercentes iudicium, sed Domini (2. Paral. 19, 5.). — Acceptus est regi minister intelligens (Prov. 14, 35.). In medio fratrum rector illorum in honore (Eccli. 10, 24.). Super faciem scribae imponet honorem suum (Eccli. 10, 5.).

Ecclesiae erectae v. restauratae et consecratae.

Domine, dilexi decorem domus tuae . . . (Ps. 25, 8.). Ascendamus . . . mundare sancta et renovare (I. Mach. 4, 36.). Ego autem totis viribus meis praeparavi impensas domus Dei mei (Paral. 29, 2.); et populum . . . vidi cum ingenti gaudio (tibi) offerre donaria (pro templis scl.) (I. Paral. 29, 17.). Erexit tabernacula (ecclesias) unxitque et sanctificavit cum omnibus vasis . . . altaria similiter et omnia vasa (Num. 7, 1.).

Episcopi consecrati; — sacerdotes ordinati.

Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum, cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi (Exod. 28, 1.). — Impositis capiti ejus manibus (Num. 27, 23.), vestivit pontificem subucula linea accingens eum balteo et induens eum tunica hyacinthina, et desuper humerale imposuit, quod . . . aptavit rationali, in quo erat

¹⁾ Penuria sacerdotum.

²⁾ „Andreanum“ (i. e. Seminarium puerorum).

doctrina et veritas. Cidari quoque textit caput . . . tulit et unctionis oleum, quod fundens super caput Aaron unxit eum et consecravit (Lev. 8, 7—12.). Filios quoque ejus oblatos vestivit tunicis lineis . . . (Lev. 8, 13.). Et unxit principes in gente sua (Eccli. 46, 16.). Unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat (Exod. 40, 13.).

Sacr. Confirmationis.

Imponebat manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum (Act. 8, 17.).

Campanarum benedictio.

Vox Domini super aquas multas, Deus majestatis intonuit . . . et in templo ejus omnes dicent gloriam (Ps. 28, 3. 8.).

Exercitia spiritualia pro sacerdotibus.

Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum (II. Tim. 1, 6.). Sacerdotes tui induantur justitiam (Ps. 131, 9.). Mundamini, qui fertis vasa Domini (Is. 52, 11.).

Visitationes canonicae.

Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem . . . praedicantis salutem . . . (Is. 52, 7.). Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas (Ezech. 34, 11.). Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum; sic visitabo oves meas . . . et pascam eas in montibus Israel, in rivis et in cunctis sedibus terrae (Ezech. 34, 12—13) et pascam illos in iudicio (Ezech. 34, 16.).

Concilium Vaticanum.

Convenerunt apostoli et seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii, et credere (Act. 15, 6—7.).

Fidei et amoris vinculis cum Romano Pontifice conjunctus.

Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam Et tibi dabo claves regni coelorum (Matth. 16, 18—19.). — Pasce oves meas (Joan. 21, 17.). — Confirma fratres tuos (Luc. 22, 32.). — Post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim (Gal. 1, 17.). — Petrus servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo (Act. 12, 5.).

„Quidquid benedixeris, benedicatur“.

Ecce sic benedicetur (omnis) homo, qui timet Dominum (Ps. 127, 4.).

Palatium restauratum et ampliatum; praedium melius redditum.

Domum (etiam) suam aedificavit (Andreas) (III. Reg. 7, 1.). Et domuncula, in qua sedebatur ad judicandum, erat in media porticu (III. Reg. 7, 8.). — Vineam meam coram me est (Cant. cant. 8, 12.) . . . et plantavi eam electam (Is. 5, 2.). Quid est, quod debui ultra facere vineae meae (Is. 5, 4.)?

Religiosus et timens Deum (Act. 10, 2.).

Cum oratis, non eritis sicut hypocritae (Matth. 6, 5) . . . habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes (II. Tim. 3, 5.). Orabo spiritu, orabo et mente (I. Cor. 14, 15.).

*Sacerdotum aliorumque tenuitas pecunia sublevata; egentium et ptochotrophii cura;
„Mons pietatis“, u. a., reformatus.*

Cum effuderis esurienti animam tuam et animam afflictam repleveris ,
requiem tibi dabit Dominus semper et implebit splendoribus animam tuam . . . et eris
quasi hortus irriguus (Is. 58, 10—11.). — In pietate autem (ministrate) amorem fraternitatis,
in amore autem fraternitatis charitatem (II. Petr. 1, 7). Beatus, qui intelligit
super egenum et pauperem (Ps. 40, 2.).

S. M. Imperatori ex animo deditus.

Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari (Matth. 22, 21); non est enim potestas,
nisi a Deo (Rom. 13, 1.); ideo necessitate subditi estote propter conscientiam
(Rom. 13, 15.). Obsecro igitur, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes,
gratiarum actiones pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt. (I. Tim.
2, 1—2.). Deum timete, regem honorificate (I. Pet. 2, 17.).

Ab Imperatore amplissimis honoribus ornatus.

Glorificavit (Dominus) illum in conspectu regum (Eccli. 45, 3.). Et dedit ei rex
gloriam (III. Esd. 8, 4.) . . . et collo torquem auream circumposuit. (Gen. 41, 42). Sic
honorabitur, quemcumque rex voluerit honorare (Esth. 6, 11.).

Digni ecclesiastici viri honore affecti.

Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime, qui laborant
in verbo et doctrina. (I. Tim. 5, 17.). — Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. (Joan.
15, 16.).

Ego sum pastor bonus. (Joan. 10, 11.)

Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis
(I. Cor. 4, 21.)? Qui misericordiam habet, docet et erudit quasi pastor gregem suum
(Eccli. 18, 13.). Seniolem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem; juvenes ut fratres
(I. Tim. 5, 1.). Charitas patiens est, benigna est (I. Cor. 13, 4.).

* * *

Corona dignitatis senectus . . . (Prov. 16, 31.), et dignitas senum canities
(Prov. 20, 29.). — Corona senum multa peritia et gloria illorum timor Dei (Eccli. 25, 8.).
Et dedit Dominus ipsi fortitudinem, et usque in senectutem permansit illi virtus (Eccli.
46, 11.). Ferrum et aes calceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuae, ita et senectus
tua (Deut. 33, 26.). Renovabitur ut aquilae juvenus tua (Ps. 102, 5.). Corona senum
filii filiorum (Prov. 17, 6.); ego senui et incanui; porro filii mei (sacerdotes) vobiscum
sunt (I. Reg. 12, 1.).

Coram cano capite consurge
et honora personam senis!

(Lev. 19, 32.).

